CICERO

Frankreich, Ende 12. Jh. Seite 74v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26366
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dinem. et magnitudinem vocis maxime comparat natura.
et nichil hanc auget, sed maxime cura conservat. Firmi-
tudinem vocis maxime comparatam natura non nichil auget
sed maxime conservat exercitatio imitationis (vel declamationis). Mollitudi-
nem vocis, hoc est ut eam torquere in dicendo pro nostro commodo
possimus, maxime faciet exercitatio declamationis. Quapropter
de magnitudine vocis et firmitudinis parte quoniam
altera parti natura parat, altera cura comparat, nichil nos
attinet commonere. communis enim res est non ut ab his qui in-
scii sunt eius artificii ratio curande vocis petatur. De ea
parte firmitudinis que conservatur orationis declama-
tionibus et de mollitudine vocis que maxime necessaria
est oratori, quoniam ea moderatione declamationis comparatur,
dicendum videtur. Firmamentum ergo vocis maxime poterimus
in dicendo conservare, si quam maxime sedata et depressa
voce principia dicemus. Nam leduntur arterie, si antequam
vox leni permulsa est, acri labore complentur. Et intervallis
longioribus uti conveniet. Recreatur enim spiritu vox et arte-
rie reticendo adquiescunt et continuum clamorem omit-
tere et ad sermonem transire oportet. Commutationes enim
faciunt, ut nullo genere vocis emisso vel effuso in omni vo-
ce integrissimi et acutas vocis exclamationes vitare de-
bemus. Ictus enim fit et vulnus arterie acuta atque atte-
nuata nimis aclamatione. Et si quis splendor est vocis
consumitur. Uno clamore et uno spiritu continenter multa
dicere convenit in extrema oratione. Fauces enim ca-
lefiunt et arterie complentur et vox que tractata varie est
reducitur in quendam sonum equabilem atque constantem. Sepe
rerum nature gratia quedam iure debetur, veluti accidit
in hac re. Nam que diximus ad vocem servandam prodesse,
eadem attinent ad suavitudinem pronuntiationis, ut
quod nostre voci prosit, idem voluntati auditoris probetur.
Utile est ad firmitudinem vocis sedata vox in principio.